



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||

Ignacio <de Loyola>

Mogvntiae, 1600

VD16 I 56

Primum exercitium secundum, tres animæ potentias circa triplex peccatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45165

PRIMUM EXERCITIUM
meditandi secundum tres anime poten-
tias, circa peccatum triplex. Et conti-
net orationem præparatoriam, duo præ-
ludia, & puncta tria præcipua,
cum uno colloquio.



RATIO præparatoria est,
 qua petimus à Domino
 gratiam, vt vires atq; ope-
 rationes nostræ omnes,
 sincerè ad eius gloriam, & cultum
 tendant.

Primum præludium est, ratio que-
 dam componendi loci. Pro qua
 notandum est; quod in quavis me-
 ditatione, siue contemplatione, de re
 corporea; vt puta, de **CHRISTO**, ef-
 fingendus erit nobis, secundum vi-
 sionem quandam imaginariam, lo-
 cus corporeus, id quod contempla-
 mur, repræsentans; veluti templum,
 aut mons, in quo reperiamus **CHRI-**
STVM IESVM, vel **MARIAM** Virginem,

& cætera, quæ spectant ad contemplationis nostræ argumentum. Sin autem speculationi subest res incorporea, vt est consideratio peccatorum nunc oblata; poterit loci constructio talis esse, vt si per imaginationem cernamus animam nostram in corpore isto corruptibili, velut in carcere constrictam: hominem quoque ipsum, in hac miseræ valle, inter animalia bruta exulantem.

Secundum erit præludium; vt à Domino id postulem, quod exopto; iuxta propositæ contemplationis argumentum: nimirum si de CHRISTI resurrectione fuerit meditandum; petenda erit lætitia, qua gaudenti CHRISTO congaudeam: sin de passione; lacrymas, pœnas, & angores petam, ad compatiendum CHRISTO patienti. In præsentī ergo meditatione, pudorem confusionemque mei ipsius debeo exposcere; attendens

quàm

quàm multi homines ob peccatum mortale, vel vnicum, damnati fuerint: & quòd ego toties peccando sim damnationem commeritus.

NOtandum ad hæc; quod omni meditationi, seu contemplationi, præmitti debent tam oratio præparatoria, quàm præludia duo: sed oratio quidem semper fit eodem modo; præludia verò pro diuersitate rerum sunt diuersa.

Primum punctum erit, vt exerceatur memoria mea circa primum peccatorum omnium, quod fuit ab angelis commissum; adhibito statim discursu intellectus, atque voluntatis motu, instigante me ad voluenda, & intelligenda ea, per quæ erubescam, & confundar totus; facta vnus tantum peccati angelorum, cum tot meis comparatione: Vnde colligere liceat, cum illi ob vnicum crimen, addicti sint inferno; quam sæpe ipse

supplicium idem meruerim. In memoriam itaque dicimus trahendum esse, quo pacto Angeli creati primum in statu gratiæ, sed (quod necesse erat ad beatitudinis consummationem,) non volentes per arbitrij libertatē, Creatori suo reuerentiam & obsequium præstare; at contra eum ipsum insolescētes, conuersi fuerint ex gratia, in malitiam; & de cœlo ad infernum præcipitati. Consequenter discurrendum erit per officium intellectus circa hæc pensulatius, nec non concitandis simul voluntatis affectionibus, acrius insistendum.

Secundum est punctum; easdem potentias tres, circa peccatum primorum parentum (quod secundum appellabimus) exercere: tractando memoria, quàm diuturnam, ob illud, pœnitentiam egerunt: quanta humanū genus corruptio inuasit: quot

homi-

hominum millia ad inferos deturbata sunt. Memorandum est videlicet, quomodo Adā in Damasceno campo, de limo terræ factus, positusque in terrestri Paradiso; & Eua formata ex vna costarum eius, cum de fructu arboris scientiæ boni, & mali, prohibiti essent comedere, & nihilominus comedissent: post peccatum subito, ex Paradiso eiekti sint: vestibus pelliceis induti, & originali iustitia priuati, reliquum vitæ suæ tempus, in laboribus, ac ærumnis maximis, pœnitendo traxerint. Super his etiam, ratiocinio intellectus, & affectibus voluntatis vtendum erit, sicut prius.

Tertium est; vt exerceamur pari modo, circa peccatum mortale, & particulare quodlibet (ipsum nos tertium peccatum dicemus, vt à duobus supra positis distinguatur) considerando, quòd peccato tali, vel se-

semel dumtaxat commisso, forte detrufi sint multi ad infernum: quodq; præterea prope innumeri, ob delicta meis pauciora, atque leuiora forte crucientur æternis pœnis. Vnde memoria versandum erit, quãta sit peccati grauitas, & malitia, **DEVM** omnium Conditozem atque Dominum offendentis. Ratiocinandum quoq; est, supplicium æternum peccato iuste irrogari, vt pote, aduersus infinitam bonitatem **DEI** perpetrato. Postremo suscitandi sunt affectus, sicut iam dictum est.

Colloquium fiet, imaginando **IESVM CHRISTVM** coram me adesse, in cruce fixum. Itaque exquiram mecum rationem, qua Creator ipse infinitus, fieri creatura, & ab æterna vita, ad temporariam mortem venire, pro peccatis meis dignatus sit. Arguam insuper meipsum, percontans, quid hætenus dignum memo-

ratur

ratur egerim pro CHRISTO? quid
agam tandem, aut agere debeam? Et
in eum intuens sic cruci affixum, ea
proloquar, quæ suggeret mens & af-
fectus.

Porro Colloquij proprium illud
est, vt fiat sicut amici sermo ad
amicum, vel serui ad Dominum:
nunc gratiæ aliquid petendo: nunc
culpam aliquam meam incusando:
interdum propria quælibet commu-
nicando, ac petendo consilium super
illis, siue auxilium. Vltimò dicatur
Pater noster.

*SECUNDUM EXERCIT-
tium, est meditatio de peccatis, comple-
tens ultra orationem preparatoriam,
& duo preludia, quinque articulos,
seu puncta, cum colloquio
ad finem.*

PRæparatoria oratio eadem quæ
supra.